

III.

NEOVIDENSIS

Nro 3^a (Neovidensis 1806. Nro. 104.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Quidam Ruricola salutem dicit suo Patri
in Elysio.

Ex Germania Australi.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 14. Jan. 1806. (Neov. 27 Decbr.)

Dilectissime Genitor!

Hoc tu nunquam, quod nos hoc anno, qui
jam, Deo sint laudes! ad finem vergit, su-
mus experti. Bellum præteritum, quo no-
stra mater visis tot diversis populis apud nos
commorantibus, & pertranseuntibus in tan-

tos effusa est questus, cum præsentī nulla ratione potest venire in comparationem. Tempora tunc erant aurea, res enim nostras potuimus carissimo distrahere pretio. Tu sæpius pro centenariō luridi foeni quatuor florenos ex foro domum retulisti, & pro modio tritici 17, imo etiam 18 florenos. Avia, post fornacem sedens, frequenter stupebat videns Judæos aureos & Imperiales pro nostro frumento numerantes, affirmavitque se toto vitæ suæ tempore non conspexisse tantum parati æris.

Longe alia est in hoc bello rerum facies. Adventans exercitus nulla sibi comparavit promptuaria. Ego profecto gaudebam inaudiens futurum bellum, sperabam enim fore, ut, quemadmodum meus Pater, ita etiam ego caro divendam stramen, foenum, frumentum, & boves. Ast spe omni frustratus sum! ne teruncium quidem accepi.

Primum venerunt Germani ex Hungaria, Bohemia, & Tyroli; Hi quidem bellissimam præseferabant speciem, at præter chartam habebant nihil. Quapropter ita animo reputabam: 100 floreni in schædis bancalibus, vel numerata pecunia, — idem faciunt, ibis dein in Austriam, emes vina Hungarica, eaque vendas cauponi Antonio, a quo novissimos recipies Imperiales. Hoc adhuc utcunque successit. Sed postea advenere Galli, & tunc, Dilectissime Genitor! ad Ulmam

resonabant tormenta, suntque multi, & valde multi Cæsarei capti, una cum equis, tormentis, & impedimentis. Tum supervenere Vürtembergenses, & Bavari, qui incondito cum clamore versus Tyrolim profecti sunt. Nullus jam amplius erat sermo de emptione venditione; cogebamur omnia procurare, & dare, iterumque dare, usque dum horrea evacuarentur. Meus lustricus Pater, (*Compa-ter*) Ulricus, aliqua recondiderat, verum facta investigatione caro luit suam temeritatem, pluribus enim quam sex hebdomadibus detentus est in custodia.

Dum vita suppetet, recordabor, anni 1805ti; Erat malus, terribilis annus! Ineunte vere fere omnes cum fame conflictabamur, præterito enim anno frumentum angustius provenerat, & magna ejus pars in exterarum regiones fuit exportata. Præterea ephemerides omnes nonnisi de peste, quam flavam febrem nominabant, mentionem fecerunt, (hanc ego, sit verbo venia, putavi febrem aureorum). Interim erat nobis aliquid residui de parta priori bello pecunia, & ideo jucundos duximus dies.

Vernum tempus promittebat omnem fertilitatem; sata steterunt lætissime, palmites pleni erant uvis. Sacer loci curio qualibet die Domini in oratione ad populum habita nobis author fuit, ut preces ad Deum funde-

remus diligenter; quod ille virgam, qua nobis minatur, nondum retraxerit, quod nostri mores nondum sint ita comparati, quemadmodum bonos decet Christi sectatores, quod per proxime elapsum bellum multum deflexerimus a probitate. Nos utique dicentem audivimus, sed ejus dictis voluntates nostras non conformavimus. Spes futuræ copiosæ messis nos totos abripuit. O dilecte Genitor! Loci curio est vir doctus, qui omnia prævidit, & prædixit.

Generatim tota æstas fuit insigniter mala, meras pluvias, & frigida adferens tempora, videbatur sol feбри frigida correptus. Mensis Augustus, iste alias ita charus vinearum cocus, nullos excitavit in sua culina ignes, imbribus, & procellis omnia obruit, ut adeo in multis locis non fuerit operæ pretium vindemiam instituere. Ad hæc mala accessit etiam illud infortunium, quod segetes tardius sint assecutæ maturitatem, debuerintque inter continuas pluvias domum devehi. Verbo: Annus 1805 erat omnium deterrimus. Vadat in æternitatem, nemo dolebit.

Verum, Dilectissime Genitor! omnia hæc fuissent toleratu facilia, si bellum non erupisset. Equidem jam bellum maritimum induxerat rerum caritatem, sed ab illo nos longe fuimus remoti, adeoque procul a Jove, procul a fulmine. Repente fama percrebuit

de apparatu bellico. Rerum novarum scriptores lætissimas spes annunciabant, Gentes se non armare ad bellum, sed ad ineundam solidam pacem. Motus facti sunt per totam Europam; Russi, Austriaci, Sveci, ipsi etiam Borussi ad arma conelamarunt, ut firma tandem pax sanciatur. Ex altera autem parte advenere Galli, Hollandi, Itali, Bavari, Vürtembergenses, & Badenses; Quis in tanto populorum confluxu sibi non persvasisset futuram pacem longe firmissimam? Verum seni nostro loci curioni hæc omnia displicebant, mala ille vaticinatus est tempora. Et reipsa hi populi se invicem adorti sunt. O dilecte Pater! horror erat videre eorum impetus. Galli, Bavari, Vürtembergenses, Hollandi, & Badenses superiores evaserunt, profectique sunt Vindobonam, inde vero in Moraviam, ubi terribile prælium commissum est in detrimentum Russorum. Dicuntur multi, valde multi interiisse. Quid restabat? Initæ sunt induciæ, & demum pax.

Optime Genitor! quanta in his rerum adjunctis passi sint ruriculæ, nequeo verbis exprimere. Semper enim dare, hostem hospitio excipere, & alere, filios in bellum mittere, sentiri potest, sed non describi. Quid futurum sit vere novo, solus Deus novit, famæ est ante portas; Quam tristes aspectus, quam infelix annus! Noster sacer curio ita nuper dixit ad concionem: Quale bellum,

talis pax, infaustum bellum infaustam post se trahit pacem, sed tamen mala pax præferenda est malo bello. Jam etiam magnæ mutationes imminent charæ nostræ patriæ, Germaniæ, Ecclesiasticis nihil potest amplius auferri, jam enim omnia amiserunt, eadem sors itaque alios manebit. Faxit Deus, ut in boni domini manus veniamus!

Horrendus iste annus paulo post ad vos, in regnum æternitatis descendet, rogo vos ~~ma~~ majorem in modum, Dilecte Genitor! accipite eum, ut meretur. Feret secum in dorso gallicum Calendarium, inferte eum in tumulum oblivionis. Interim transmitto vobis sequentia rerum novarum fragmenta:

Stutgardia 23. Decembris. Hac hebdomade expectantur Monachii 15 millia Gallorum, partim ex Cæsarea turma prætoria, partim ex divisione Granatariorum Generalis Oudinot, & cum iis Imperator Gallorum.

Diurnum mandatum Imperatoris Napoleonis de 19. Decembris 1805. Ex primario hospitio Schönbrunn. Magnus exercitus, Duces Generales.

Sua Majestas Imperator, & Rex præcipit omnibus Generalibus, qui ejus exercitui presunt. Item Gubernatoribus provinciarum, & Præfectis locorum, & copiarum, qui

in diversis ab exercitu occupatis regionibus existunt, ut Serenissimorum Electorum Bavarici, Vürtembergensis ac Badensis legionibus, & plena rerum agendarum potestate instructis mandatariis in occupandis possessionibus, hæcenus ad ordinem equestrem Imperii Germanici pertinentibus, auxiliares præstent manus.

Sua Majestas Imperator promisit his tribus Electotibus plenam, & absolutam suos status gubernandi potestatem, ut hi tres Principes tali polleant in suis ditionibus imperio, quali utitur Imperator Germanicus in Austria, & Rex Borussiae in Electoratu Brandenburgico. Quod speciatim ordinem equestrem Romani Imperii attinet, ille erat fœderatus Austriae; passus est in suo territorio colligi tirones pro Austria, quod illum ad statum belli contra Galliam coniecit, Germaniæ enim Imperator vi legum imperii tunc tantum habet jus in Germania milites conscribendi, dum bellum cum Germania geritur.

Eodem modo impositum est, ut omnia Romani imperii territoria, sint illa alicui Principi vel urbi Imperiali subiecta, in quibus pro colligendis Austriacis tironibus loca habebantur, vel quæ hanc collectionem in favorem Austriae admiserunt, tanquam cum Gallia bello implicita considerentur, & tractentur.